

1698.

1^{a, b} Coccejus, Henricus: De armis illicitis
2 Exempl. -

2^{a, b, c} Coccejus, Henricus: De foeminarum sequestro.
3 Exmpl. 1709. 1717 & 1742.

3^{a, b} Coccejus, Henricus: De potestate statuum
imperii circa dignitates.

4^{a, b} Coccejus, Henricus: De directa probatione
negativa. 2 Exmpl 1698 & 1736.

5^{a, b} Rhodius, Michael: De porta libera. 2 Exmpl.
2 Exmpl. 1698 & 1756

6. Schultze, Petrus: De citatione edictali.

7. Vehr, Henricus: De fermentatione caque in sanguine
ne omnino existente

8. Vehm, Henricus: De lacta ac laesa spiritus
mundi puri in cerebro generatione

9. Willenberg, Samuel Fridericus: De jure vespillo-
rum.

UNIVERSITATIS LIBERAE
MAGIS ILLI
CITIS, 1731

Auspiciis Divini Numinis,

PRÆSIDI
VIRO ILLUSTRIS

HENRICO COCCEJO,

VIRO CELEBRISSIMO,
SACROSANCTÆ POTENTISSIMÆ ELECTORIS BRAN-
DENBURGICÆ UNIVERSITATIS JURIDICÆ
PROFESSORI, & PRAESIDI PALATINÆ

ACADEMIÆ ELECTORALIS PALATINÆ
SACROSANCTÆ POTENTISSIMÆ ELECTORIS BRAN-
DENBURGICÆ, IN ACADEMIA
JURIDICÆ, & PRAESIDI PALATINÆ

DOCTORIBUS VOBIS DEFENDERANDO,

WILHELMO GEORGIUS
BIRCKHOLTZ

PROFESSORI JURIDICÆ
UNIVERSITATIS LIBERÆ
MAGIS ILLI



8. ...

9. ...



CHRISTO FELICITER VERTENTE!
DECRETO & AUTORITATE

1698, 8

15

Gratiosiss. Facultatis Medicæ

IN ALMA UNIVERSITATE PATRIA,

PRÆSIDE

DECANO SPECTABILI

DNO IRENÆO VEHR,

Med. Doct. Ejusdemque Profess. Publ. Primariô,

Archiatro Electorali Brand. & Facultatis suæ Seniore,

PARENTE SUO,

Filiali omni Pietate æternùm colendo,

DISPUTATIONEM INAUGURALEM,

DE
LÆTA AC LÆSA

Spiritus Mundi Parvi

IN CEREBRO GENERATIONE,

Pro Licentia

SUMMOS IN MEDICINA HONORES

INSIGNIA & PRIVILEGIA DOCTORALIA

legitimè obrinendi,

Publicæ solenni Censuræ & Disquisitioni subjiciet

CASPAR FRIDERICH VEHR,

FRANCOFURTANUS MARCHICUS.

Ad diem XIX. Martii, Anno M DC XCVIII.

In Auditorio Majori, Horis ante 5 pomeridianis.

Francofurti ad Viadrum imprimebat Johannes Cœpselius, Acad. Typogr.



LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF TORONTO
George F. Johnson
1875

PHILIPPO VERRI

PHILIPPO VERRI
M.D. 1780
M.D. 1780
M.D. 1780

DISPUTATION

DE
MORBO

SPLENIUM

IN

PHILIPPO VERRI

PHILIPPO VERRI

PHILIPPO VERRI


PHILIPPO VERRI

PHILIPPO VERRI

PHILIPPO VERRI

PHILIPPO VERRI





Dissertatio Inauguralis,
DE
Spiritus Mundi Parvi
Generatione in Cerebro
Lata & Læsa,
Sectio I. Præliminaris.

Quædam de Animâ & Spiritu Mundi Magni,
quasi per Præfamen, exhibens.



DE Animâ Spirituê Mundi,
quem *Magnum* vulgò & *Univer-*
sum vocant, mirum est, quantò cum
Sententiarum Divortiò statutum huc-
usque sit, à Viris Philosophis. Lon-
gum foret placita singulorum recen-
sere sollicitiùs: Breviter tamèn &
quasi summatim, sub ipsò hujus Tractationis Principiò, præci-
puas Principum aliquot Scriptorum Opiniones attingere vo-
lupe est. Fuere, qui *Animam Megacosmi* à *Spiritu illius* mini-
mè distingverent; neque *Spiritum* ab *Animâ*. Fuere qui di-
stinctè *Utriusq;* meminerint. Atq; hos inter extitere alii, qui
A 2 &

4. *Disputatio Inauguralis Medica*
& Hunc & Illam affirmarent: Alii iterum, qui Illam negantes
Hujus tantum Existentiam admitterent: Alii denique qui u-
trig; inter non Entia locum assignandum contenderent. Ve-
tustissimam sanè & à variis Antiquorum Philosophis Acade-
micis æquè ac Stoicis approbatam, nec minùs ab Aristotele,
acceptatam fuisse Sententiam, quod Mundus communi quadam,
eâq; præstantissimâ, Animâ præditus, atq; Animal adeò vivens sit:
acutissimi Ingenii Vir FRANCISCUS PICOLOMINEUS,
consentiens ipse iisdem, *Parte II Libror. ad Scient. de Natur. at-
tinent. Libr. de Mundo C. 28 29. & 30.* pluribus evicit; & ne-
gare vix licebit. At verò eam ipsam qui suam fecerunt,
quàm in diversa abierint, ubi Animæ illius Essentia & Natu-
ra explicanda esset: quemadmodum ejusdem Scriptoris in-
diciò intelligere; sic ex illis, quæ supersunt, Veterum
Librorum monumentis cognoscere est. Ipsum DEUM, quem
totam rerum Universitatem sui Numinis Præsentia complere,
melior Philosophorum pars jampridem pronuntiavit, (uti
*Mercurii Trismegisti, Orphei, Pythagora, Virgilii, Heracliti, Anaxa-
gora, Boëthii, Plotini, aliorumq; Exemplis, ex MARSILII FICINI,
Libr. de Immortalitate Anim. c. 6. EUGUBINI Lib. IV. de Perenn. Phi-
losoph., & SYLVIANI, Episc. Lib. I. de Provident., COLLEG. CONIM-
BRICENSE Cõment. in Lib. VIII. Phys. Arist. Qv. I. Art. I. arguit*)
Animam hanc præstare Mundo, *Pythagorica Sectæ*, nec nõ *Stoi-
corum quibusdam*, præsertim *Stratoni & Chrysippo*, visum est. *Pla-
toni* placuisse idem & *Platonicis* nonnullis, sunt qui velint.
Quos inter acutissimus SCALIGER *Exercit. Exot. 6. Sect. 2.* ubi
asseverare ipse nullus dubitat: Non esse Hominis sapientis e-
xistimare, Animâ carere Mundum. Vide *Disput. de Animâ Mun-
di Platonicâ* JOH. SPERLINGII *Witteb. Anno 1646. editam.* Non
probatum tamen horum Judicium aliis, qui Animam Mundi
Platonicam longè à DEO secretam esse existimant: Ceu con-
sultus l. c. laudatus PICCOLOMINEUS ostendet. Is qui ARI-
STOTELEM tamen (quem aliàs Animam Mundi eatenus, qua-
tenus à DEO & Mente, Primum Mobile movente, distingui-
tur) inter Commenta retulisse, & passim contra eam dispu-
tasse,

tasse, non inficiatur,) non aliud sensisse, quam DEUM esse, Mundi Animam. *Cap. 30.* haud obscure asserit: Cum, notabili Epilogô, *Colligo*, concludit, *demum, Aristotelem cum Platonem in parte consentire, & in parte dissentire.* Consentire quidem, quia ambo asserunt Mundum animatum, ambo concedunt Animam Mundi, ambo dicunt Animam Mundi esse Animam primi Mobilis. Dissentiunt verò, quia Aristoteles Animam primi mobilis non statuit à DEO distinctam, ac ita ex ejus Sententiâ DEUS est Mundi Anima: Ex Sententiâ autem Platonis Anima Mundi à DEO secreta est, & in tertio gradu sub ipsò posita. Scilicet PLATO (quod ex TIMÆO ejusdem imprimis constat; inde etiam à PICCOLOMINEO pariter atque aliis relatum) DEUM quidem Caput & Principium cunctorum quæ in Mundo sunt statuens, Mentem interim quandam, Mundi Moderatricem, eidem immediate subiciebat; Menti Animam, Animo Naturam, Naturæ Materiam subordinabat: Atque adeò tantum abest, ut DEUM Mundi Animam constituerit; ut hanc ipsam à DEO in mediò Mundi positam & per totum extensam esse, expresse *l. c.* perhibuerit. Expresse itidem ibidem Mundum *Animal, idq; intelligens perfectum, unum, Senii ac Morbi expers, reverà Divinâ Prudentiâ constitutum*, appellans. Quam in rem conferri potest NICOLAUS NENZELLUS *Analog. Microcosmi ad Macrocosmum Lib. VII. Probl. 3. pag. 1059.* Quem si pariter *pag. 2142. nec non pag. 68.* quis consulat, non tantum de Sententiâ Platonis, quâ Mundi Animam, certior redderetur, sed & hoc intelliget: Quod inter Veteres, distinctam à DEO Animam Mundi agnoscentes, non defuerint, qui præterea *Spiritum* quendam Mundi, quasi sobolem quandam illius, statuerent. Quemadmodum PLOTINUM quidem *Platonicum* ita sensisse docet: Quod ab Anima Mundi Spiritus quidam in universum dimanaret, quem vi suâ genitali, illâ quasi turgens, procrearet. Et verò Spiritum quendam communem atque vivificum, per Universum Mundum fufum, omnia in illò conservantem & foventem, sicuti ipse NENZELLUS *l. c. p. 69.* pluribus profiteretur; agnitumq; etiam ab ARISTOTELE indicat: Ita ab aliis, Animam quantumvis Mundo negantibus, (negarunt autem pro-

6 *Dissertatio Inauguralis Medica,*
priè dictam illam non tantum Aristotelici plerique, sed & re-
centiorum Philosophorum penè omnes,) similiter approba-
tum fuisse; discere est ex iis, quæ apud SENNERTUM, *Lib. de*
Consensu & Dissensu Chymicorum c. Aristotel. & Galen. c. 7. pag. 71.
habentur. De eodem quid sub nomine *Magnalis & Mysteriorum*
tenuerit cum suis Affectis PARACELsus? mediam ipsum, ceu
Creaturam omnium excellentissimam, inter Corpus & Non-Cor-
pus faciens: (quemadmodum & HELMONTIUS, *Magnale*
Thecam in Aëre, Creaturam inter corpus & non Corpus mediam,
dixit:) Quid Chymicorum alii (quorum aliqui captare etiam
eundem & Medicis aptare usibus magnò variòque conatu
laborarunt) statuerint? cum paucis explicari non possit;
possis interim, tum dicto apud SENNERTUM loco, tum apud
NITNERUM, *in Tract. de Spiritu mundi; tum in Append. Ann.*
IV. & V. Dec. 1. Eph. Germ. Curios. sub Positionibus de Spiritu Mun-
di; tum in Halurgiâ Curiosâ Kirchmejerianâ An VIII. Dec. 2. di-
etarum Ephemerid. annexâ, videre. Ex quò tempore autem
mechanicè, quod dicunt, explicari Mundi phænomena
postremâ nostrâque Ætate cœpere; atque inter Princi-
pia Corporum Naturalium Subtilis Materia agilissima agni-
ta est: Exulare ferè ex Scholis Physicis illa, de Mundi sive
Anima sive Spiritu, Doctrinâ observata est. Donec paucis
ab hinc Annis, Celeberrimus Vir HENRICUS MORUS *Cantabri-*
giensis, ad labefactandam aut penitus evertendam Hypothe-
sin apud plures receptissimam, de *Vi Aëris Elasticâ,* reducere
quodammodo eandem satageret. Propositò nimirum, ma-
gnòque ut Ingenio ita Zelò defensò in Scriptis suis, *Principiò*
Immateriali, per universum Mundum diffusò, & Intellectu quidem
sensuq; destitutò, sed impetu tamen quòdam vitali agente; quod
Hylarchicum ipse & Spiritum Naturæ vocare sustinuit. Quem
secutus in *Exercit. Mathematico-Physico-Theologicâ Theoricorū*
Copernico-Cælestium, Anno 1689. editâ, Philaletha; (quem se
vocat ZIMMERMANNUS) cum Religionis pariter atque Gloriæ
divinæ interesse judicavit, statuere *Spiritum quendam Naturæ,*
Vitâ ad minimum plasticâ instructum, & Mundum Zoophytum,

à Spiritu illo, ceu forma informante, aduatum: Nescio an
æquâ animi lance expenderit, quæ Principii illius Hylaribui
& Spiritus nature causâ, jam Anno 1685, contra Morum, solide
simul & modestè, suo more, disputavit JOH. CHRISTOPH. STUR-
MIUS, in Epist. ad Eundem, Part. 2. Colleg. Experiment. Curiosi anne-
xâ. Is qui alioqui Physicæ Conciliatricis Part. Specialior. Sect. po-
ster. c. 5. §. 12. suum de Mundi Animâ Judicium, nec obscure nec
ineptè, hâc sententiâ expressit. *Esse Mundū aut Animal propriè
loquendo, non Motu solū sed sensu quoq; imò & Ratione præditum;
aut ita animatum, sicut Animalia & Plantas animata vivereq; dici-
mus, qui seriò crederet aliūve persuadere conuiteretur, eum & risu
dignissimum & sensuum rationisq; usu verò destitutum haut injuriâ
quis diceret. Per Analogiam tamen aliquam isthac admittere non
adeò ineptum foret: Siquidem à Divina Mente totam hanc Machi-
nam non solū fabricatam esse, sed etiamnū regi & gubernari
necessum esse, uti Corpus nostrum ad voluntatis nostre nutum regi-
tur; ac præterea ipsi illi Spiritus animales, quibus mediantibus il-
lud Imperium suum exercet Mens nostra in suo Corpore, nihil aliud
esse videntur quam particula quedam illius actuosissima Materia,
quam per universum Mundum diffusam Aristoteles quoq; agnovit,
indeq; quodammodo anima plena esse omnia dixit. Quod Clarif-
simi Viri Dogma legens nuper, (cum Thematis in sequentibus
evoluti causâ dictam illius Physicam confulerem) atque utriq;
quod dicitur, pollice facilè probans; quandoquidem non a-
nalogum tantū, (quod hætenus plerisque placuit,) sed
eundem jam planè Spiritum nostrum Animalem, cum subtili &
actuosissimâ Materiâ, undique diffusâ, Spiritusque adeo Mun-
di nomen, præ quâvis alia substantiâ, (si non propriè, ast a-
nalogicè) meritò habente, esse intelligebam: Non dubitavi
Dissertationi huic Inaugurali, quâ Spiritus communiter Ani-
malis dicti latum lasumq; proventum, cum Auxiliis huic subvenien-
tibus explicare placuit, eum, quem habet, Titulum præscribere.
Rationem facti, si quis postulet, pluribus redditurus in ipsâ
Ventilatione. Quam DEUS Optimus Maximus, qui hæte-
nūs labori benignè adfuit, secundet!*

Sturmi

Sectio II.

Spiritus Microcosmici Animalis Constitutionem & Generationem lætam, sive secundum Naturam contingentem, exponens.

§. I.

Generationem Spiritus, quem vocant, *Animalis*, in Animalibus & Animalium præsertim præstantissimò. (plenò quippe rationis & Consilii, quod vocamus Hominem,) ritè ægreq; succedentem, sive lætam læsamque, breviter jam *Gratiosissimæ Facultati Medice*, Jussu Ipsius, pro Examinibus consuetis, delineatam; paulò pluribus Dissertatione Inaugurali, Publici, quod dicitur, Examinis causà, explicaturus, non possum non ad priorem primò convertere Animum. Quod dum facio, non necessarium arbitror ab ipsà dicti Spiritus *Existentiâ* ordiri Tractationem, eamque Argumentis quibusdam operosè confirmare: Quandoquidem nemo ferè est, qui Eam reverà in dubium vocet. Nam quæ ab HELMONTIO & BONTEKOVIO contra eam afferri videntur, videntur potius quàm verè sunt adversa Eidem: prouti ex sequentibus apparebit. Constat alioqui sua facilè Illi certitudo: Non tam autoritate *Hippocratis* aliorumque Principum Medicorum; quàm per Rationes diversas: à peculiari Officinâ & Vasis Deferentibus peculiaribus, variaq; (quæ varias eorundem Affectiones & Perturbationes sequitur) Functionum vel Operationum Animalium Anomaliâ, petitas.

§ II *Essentiam* autem, (quam non fas erit fortasse non tangere) indicaturus, simul & Facultates Usunque delineaturus, non dubitabo sequi vestigia Clarissimi nostrâ ætate Philosophi Altorffini, qui in *Physicæ Conciatricis Conaminibus* p. 271. (verbis licet aliter quodammodo ordinatis,) Spiritui, scribit, *Animali, Vitalis Flammæ soboli, hoc est Partibus Sanguinis spirituosissimis in Cerebro præcipuè secretis & cum Succo Nervoso*

De Spiritu Mundi parvi in Cerebro, &c.

9
voso, per Nervos, in totum Corpus diffusis debetur omnis (quæ in Animalibus scilicet observatur,) Impressiones sensibiles modò corporeo percipiendi, Humores interiores ciendi & externa Membra movendi Potentia, quam Sensitivam, Appetitivam & Locomotivam Schola vocant. Eidemq; adeò Spiritui Anima Sensitiva Nomen & Definitio apprime convenit: Ut frustra sit, quæ aliam, præter hunc, Substantiam sentientem, non corpoream nec tamen etiam spirituaalem, (qualem Scholæ communiter docent,) vel Spirituaalem quidem, sed cum Corpore tamen & ortam & interituram, (cujusmodi TAURELLUS tradidit) res penitus inexplicabiles, fingendas putet.

§. III. Nimirum, (ut Evolutione quâdam Loci hujus STURMIANI clariùs quodammodo mentem explicem) tamen si Spiritus quidem communiter dicatur Substantia illa, de quâ mihi nunc sermo est: Spiritus tamen propriè, nempe Materiæ expers, non est. Neque etiam intermedium quid est inter Corpus & Spiritum, ceu PARACELSO aliisque visum est: Sed Corpus omninò; adeoq; Materiale quid. Corpus autem tum subtilissimum, tum maximè & mobile & activum, tum singulare admodum. Subtilitatem certè ingentem, partim ex Partium secermentium Organorumque distribuentium summâ Exilitate, partim ex eò colligere licet; quod Oculorum Sensum omnem per se effugiat: Quamvis sub sensum non omnino nullum cadat. Etenim sensibilem quodammodo & Consistentiâ magis palpabili, ac à plerisque concipitur, præditam esse hanc Substantiam, per Experimentum Bellini, quod Clarissimus BOHNIUS exposuit, confirmatur. Quando nempe Nervus Phrenicus in Cane recenter & subito strangulatò, ablatò statim Sternò, alterâ Manu premitur, & alterâ deorsum, versus Diaphragma stringitur, Motus ejus redintegrari cernitur; atque hinc Accessio adacti per Nervum Spiritus Animalis advertitur. Activitatem ac Mobilitatem eximiam à posteriori, ex ipsis Effectibus, cognoscere est. At verò volatilitatem planè singularem inde statuere jubemur,

B

mur,

mur: quod in omni rerum Naturâ vix inveniatur aliquid, quôcum rectè comparari possit. Unde Conceptus quoque quidam specialior de ejusdem Quidditate minimè formari, neque Essentiæ modus sufficienter determinari potest.

§ IV. Utut inveniuntur enim, qui cum Corporibus aliis fluidis & subtilibus, vel Naturalibus, nempe Aere imprimis & Luce aut lucido Igne; vel Artificialibus, potissimum Chymicorû Spiritibus; Spiritum hunc vel conferant, vel ejusdem Materiæ esse sibi persuadeant: Quemadmodum inspecie illum aliqui Nitro aëreæ Naturæ à MAJOW assertæ faciunt; alii Ætheris aut subtilissimæ actuosissimæq; Materiæ (quàm per Aërem elasticum æquè ac universum Mundum diffusam, ARISTOTELES etiam, uti CARTESIUS, agnovit, Teste citato STURMIO *L.c. Sect. I. cit.*) Particulam esse, cum Eòdem volunt; alii, cum WILLISIO, lucidi magis quam calidi Ignis, aut Lucis sive solaris sive alterius æmulum; vel Spiritibus Chymicorum Urinosi, sive Salino Volatilibus alcalicis, æquiparandû; rursus alii cû PASCALIO, in *Libello de admirandis Fermentorum in Corpore Humano Effectibus*, acidum; cum WIRDIGIO dulcem & suaveolentem; nec pauci, cum BORELLO, Spiritui Vini similibusq; Sulphureis similem perhibent: Nulla tamen istarum Hypothesium est, quæ non Difficultate quadam laboret. Prout pluribus à Clarissimo BOHNIO, tum in *Exercitatione Physiologica 15. §. 14. & sqq.*, tum in *Circulo Anatomico. Progymnasmate 19. inde à p. 299 ad 308.*, ostensum est. Qui interim, si quid omninò profitendum. Priori quidem loco probabiliorum illorum Sententiam judicat, qui à Principio salino volatili activitatem illius maximam derivant: Posteriori autem statuit, esse eum Portionem Aëris, mediæ Naturæ, quæ per Respirationem Sangvini commiscetur, hujusque particulas elasticas reddit; postquã nempe denuò ab eòdem separata per Nervosum Systema diffunditur: Rectius tamen, certè prudenter, si non Philosophicè, eos agere existimans, qui conceptu

ceptu generali negotium complectentes, Partem Corporis tenuissimam & mobilissimam ipsum definiant. Præ quibus, nescio, an melius clariusque loquantur? qui eundem describunt, per Fluidum quoddam Corporis subtilissimum energeticum; sive summe activum & valdè mobile: cum summa Mobilitas Fluiditatem quandam &, cum Subtilitate, Activitatem maximam involvere videatur.

§. V. Cujus quidem, utriusque summæ, tum dirigendæ tum coërcendæ causà, an Corpus aliud humidum, aut *Succus* quidam (quem sub *Nervei* sive *Nervosi* Cognomine Angli quidam cū *WILLISIO*, *BORELLUS* item & *VIEUSSENS*, quamvis diversimodè, tuentur; *STURMIUS*sq; ut audivimus, agnoscit) eidem, velut Retinaculum & Vehiculum, perinde ut Sangvinis Massa Flammæ vitali, jungatur? Isque mitissimi Roris ad instar per Cerebrum & nervosum Systema omne diffusus, simul sive ipsorum tantum Nervorum, sive Partium cunctarum, reffectivus & nutritivus sit? Atq; possit, ad quorundam (quibus & Clar. D. *CORNEL. BONTECOVIUS* accensendus, quem vid. *Tract. de Hominis Vita Valetud. & Morte Membr. I. §. 49. & sqq.*) mentem, ipsum Spiritus Animalis Conceptum essentialem ingredi? quamvis, per Argumenta tuentium, probabile videatur: Per dubia tamen, quæ eisdem negantes opponunt, à *BOHNIUS* pariter indicata, nondum satis certum est.

§. VI. Certum autem, à Fluidi illius maximè mobilis Activitate, omne Animalium, quæ vulgò vocantur, Functionum Negotium adeò dependere; ut illò rite proveniente, Partibusque Solidis semper & sufficienter præsentibus, salvum hoc & integrum: deficiente Membrisque subtractò, turbatum idem & imperfectum sit; imò penitus cesset. Quem admodum tum Experimentò ante adducto *BELLINI*, tum aliis aliorum, quæ sciens volensque evitandæ prolixitatis causâ prætereo, id facillè evincitur.

§. VII. Dico: rite proveniente, Partibusque sufficienter præsentibus. Neque enim Permanens quiddam Spiritus

animalis est; sed, cum volatile admodum fluidissimumq; Corpus sit, uti continuo diffluit & dissipatur, dum in Usus Partium impenditur: ita continuo, quoad vivit Animal, certo Corporis animalis loco, reproducitur; (unde Animam Hominis, quatenus Animal est, perpetuo nasci, jampridem dixit Hippocrates) productumq; ex loco natali, per universam Machinæ Molem diffunditur. *Generationis & Elaborationis* terminis communiter eam rem dicunt. Quam ut amplius nunc Ordine exponam, de tribus potissimum mihi dicendum esse intelligo. Nempe de *Officinâ in qua*, de *Materia ex qua*, & de *Modo quo* generatur & producitur.

§. VIII. *Officinam* ergo Elaborationis quod concernit: In *Capite*, sive inhærente potius eidem *Cerebro*, Spiritum Animalem generari, constans omnium ferè (si *Argentarii* fortè excipias) Medicorum Sententia est. Quam minimè rejiciendam existimans, Laboratorium interim, in quò sit dictus Spiritus, ad comprehensam Spinâ Dorsali Medullam Spinalis extendi posse, ex eò persvadeor; quod hæc suâ Substantiâ pariter atque suis Vasis, cum contentis Capite Partibus apprimè conveniat. Earum verò cum, sub communi Cerebri Nomine, variæ sint; nempe tum *Meninx utraque* atque alterius, puta *Crassioris* sive *Durae Matris*, *varii Sinus*, tum *Cerebrum* strictè dictum ejusque *Cortex*, *Corpus callosum*, *Ventriculi*, *Plexus Choroides*, &c. tum *Cerebellum*, & *Spinalis Medulla globosa Principia*, *Nervorumq; Thalami*, unâ cum *Glandulâ Pituitariâ*: Tametsi aliis quidem Sinus, aliis Ventriculi, tum anteriores tum 4tus, (hinc nobilis Anatomicis quibusdam dictus) aliis Plexus Choroides, apti imprimis Spiritui Animali producendo loci videantur: Glandulosam tamen aut Glandularum Substantiæ affinem, tum Cerebri κατ' ἐξοχήν dicti, tum Cerebelli Spinalisque Medullæ Partem, accommodatam huic Negotio præ ceteris, ex eo crediderim: quod glandulis alioqui ferè debeant sese Fluida alia quæ in Corpore proveniunt. Talis vero, MALPIGHIO docente, est *Corticosa* vulgò appellata sive *cineritia*

ria: quæ in Cerebro & Cerebello albicanter Medullam ambiens, per varios interim anfractus altius intra eandem sese insinuat: In globosis verò Medullæ Spinalis principis, Medullaribus fibris intertexta est: similiterque in oblongatâ eadem Medullâ, ut totus hujus Caudex striatus & fibrosus seu medullaris compareat, intus tamen ex cinere rubescens conspicitur: Perinde ut Vasis inibi Arteriosis pluribus ac amplioribus, præ Medullari parte, instructa (æquè ac illa Cerebri & Cerebelli) deprehenditur.

§. IX. Quantum ad Materiam, ex qua generatur toties dictus Spiritus: Est eâ pariter ab omnibus habita Sanguis: per Carotides & Cervicales Arterias, Capitis potissimum contentis Partibus, perque suas etiam Spinali Medullæ, continuo, ceu reliquis Corporis Partibus solidis, affusus. Sanguis autem cum subtilioribus activis, æque ac crassioribus & Passivis Partibus constet: quarum illa Ignis, vel Flammæ, vel Auræ vitalis, Spiritusque itidem vel Naturalis vel Vitalis Nomine, non malè nonnullis, me iudice, dicuntur: (Neque enim Entia præter necessitatem multiplicari crediderim, si Spiritus, præter *animalem*, tum *vitalis* aut *naturalis* in Sanguine, tum *genitalis* in Semine statuatur: Neque, si unicus, quod aliqui volunt, statuendus fuerit, quid Causæ sit, cur non Vitalis ille potius cum Argentio, quàm Animalis habeatur? video: Cum in Ovò fecundò intra Uterum conceptò, nondum evolutò Cerebrò aliisque Facultatis Animalis Organis, statim cum Sanguine, imo & ante eum, sese prodatur:) Hæ, tum Crassamentum, quod vocant, purpureum, tum Vehiculum ejusdem, nempe Serum vulgò dictum, unò Massæ Sanguineæ nomine utrumq; quibusdam appellatum, absolvunt: Illas potius in Spiritu Animalem dictis in locis abire quàm has, verosimile est Idemq; Clariss. STURMIO pariter visum esse, ex eò colligere est. quod Flammæ vitalis sobolem, Partesq; Sanguinis spirituosissimas in Cerebro secretas. eundem esse dixit.

§. X. Dico autem: Sanguis, per arterias Carotides ac Cervi-

Cervicales Spinalesque, Capiti & Spinæ Dorsali, perinde ut reliquis Partibus Corporis affusus. Nempe ut dissensum tester ab iis, qui vel sub halitus specie subtiliores ac spirituosiores Sangvinis Partes ad Caput ascendere volunt; vel eadem ratione levitatis, eò potius, quàm ad alias Partes tendere arbitrantur: Minimè necessarium arbitratus, aliù, quàm qui ad reliquas Partes dispensatur, Sangvinem, pro Spiritus animalis Materiâ comminisci. Quâ Occasione quamvis, de ipsâ nominatarum Arteriarum Origine & propagatione atque Insertione, dicendi Campum mihi aperiri advertam; ingredi tamen eundem, metu ingratae prolixitatis, non sustineo.

§. XI. Neque ideò pluribus etiam occupari & morari volupe est in Quæstione, quæ pariter hic ventilanda occurrit: *Annon Aer potius, isque per Nares in Cerebrum inspiratione attractus, Materiam Generationis Spiritui Animalis præbeat? aut tamen, Sangvini intra Pulmones in respiratione conjunctus, cum aliis ejus partibus, tanquam Materia modo dicta concurrat?* Sed paucissimis tantum priori Quæstionis Membrò, (ex eò, quod nullus Aer per Nares ad Cerebrum penetret) negatò; posterius me eatenus affirmare indico: quatenus Aeris inspiratae particulae, Sangvini unitæ, spirituascentiam illius plurimum juvant. Tamen nec aliquibus suis Particulis, reliquis Sangvinis subtilissimis intimiùs implicatis, in secretionem harundem, unà cum iis, in Spiritum abire negaverim: Perinde ut Doctissimus MUNNICKS *Dissertatione Anatom. I. de Corporum Animalium Oeconomia Thes. 10.* suspicari fas putat, quod subtiles Humoris sapidæ Particulae, altiùs à nerveis Lingvæ Papillis imbibitæ, à Spiritibus Animalibus aliquatenus abripiantur, & pro ipsorum nutritu intus per Nervorum Ductus versus Cerebrum convehantur; cum planè constet, quod in magnâ Inediâ & Spirituum Animalium Deliquiò, à primo statim generosi Liquoris libamine, eorù refectio immediatè sequatur. Solum interim Aërem sufficientem Spiritui Animalis Materiam dare nō posse existimo: Idco

Ideo, quod liberò licet Spiritu, si Sanguis, per inediam ali-
asque Causas, minùs conveniens aut nullus ad Cerebrum
dictasque Partes reliquas deferatur, deficiat cessetque Spi-
ritus Animalis Productio.

§. XII. Quæ quâ ratione in iisdem fiat, paucis deni-
que adjiciendum. Puto autem, cirçâ hanc determinandam,
potiorem esse Sententiam eorum, qui Colatoriâ solâ, per Cor-
ticem Cerebri glandulosum, Secretione, incongruas ejus-
dem Poris Sanguinis Particulas excludente, colligi ex illis,
quæ eisdem Poros subire & transire aptæ sunt, idoneum
animalibus Muniis volatissimum Corpus existimant: Præ
aliis aliorum Placitis; qui transmutationem quandam, à sub-
stantiâ Cerebri contingentem, hîc concipiunt: aut Fermen-
tum aliquod immutativum, (quale quoddam, Salis Armo-
niaci texturam habens ejusque Odorem spirans, WILLISIUS
persuadere sustinet) supponunt. A quibus sicuti alienum
se quoque testatur HELMONTIUS, *Tractatu Blas Humanum*
in scripto, quando *sub numero ultimo*: Mutatio, scribit quam,
Spiritus vitalis recipit in cerebro, non est ad formalem,
transmutationem; Sed est Gradus perfectivus, ad destina-
tionem sui: Ita nescio, quâ ratione ex hac Hypothesi in-
ferat? Non esse Spiritum Animalem in Natura. Proinde-
que malem Conclusionem hanc negativam, non simplici-
ter de Spiritu Animali, sed de eodem essentialiter & toto
genere à Spiritu Vitali distincto, accipere. Qui in reliquis
interim Hypothesibus, (quas his verbis prodit: *Nimirum*
Spiritus innatus intendit ex vitali influxu sibi simile generare, idq;
in singulis Sensuum Officinis, illique dat Sigillum sui Organi.
Sic nempe Opticus Spiritus non gustat Non ambo tamen pro-
inde specie differunt, quanquam Muniis. Etenim in vitalitate Cor-
dis animatur semel à Mente, sicque Universale Organum vite:)
vestigia ejus premenda mihi non sumo.

§. XIII. Colatoriam autem, quam agnoscere me profes-
sus sum, secretionem, vi blandi Motus, tum Circularis San-
guinis, tum, qui ab hîc pendet, palpitantis ipsius Cerebri, fie-
nt. Eandemq; prædispositione quâdam Sanguinis arteriosi, ad
caput

caput à corde demandati, tum in Reti ubi adest, Animalibus, mirabili, tum in Choroideo plexu, plurimū juvari, (quatenus scilicet ille, in transitu suo per exilissimos reticulares Ductu, magis magisque diffusus & attenuatus, Separationi magis congruus redditur,) nullus dubito. At verò non parum de eo: An interim, dum Spiritus Animalis fit, Serositates quædam superflua ad Ventriculos colligantur? Præter naturalem potius, quàm Naturæ consuetam, esse arbitratus Collectionem (si quæ Anatomicis forte occurrit) Lymphæ, in illis Cavitatibus. Quas tamen nec Spiritus Animalis quasi *φυλακίρια* ac Receptacula. unde ad nutum Glandulæ Pinealis, à Mente humanâ primariò inhabitatæ, per Nervos dispensetur, statuere hæcenus possum: vel Hydrocephalicis aliud svadentibus.

Sectio III.

Generationem Spiritus Microcosmici Animalis Læsam, sive præter-naturaliter impeditam, indicans.

§ I.

Posteaquam hæcenus, quâ ratione Spiritus Animalis, ex Naturæ Instituto novus continuo generetur expositum est; dispicere nunc ulterius juvabit: Quomodo Generationem ejusdem præter naturæ Ordinem impediri, Functionesq; adeò animales vehementer lædi contingat.

§ II. Fit hoc (ut sine ambagibus ad rem statim accedam,) vel culpa *Materia*, ex quâ, vel culpa *Officina*, in quâ generatur, & à quâ per Nervos in partes universas influit.

§ III. *Materiam* Spiritus Animalis esse *Sanguinem* per Arterias à Corde ad Cerebrum delatum, parte suâ subtilissimâ & maximè volatili, ex *Sectioe antecedente* constitit. Hujus igitur Peccatum, quo Generationi illius officit,

cit, aliud est in *Substantiæ Modo* & hinc resultantibus *Qualitatibus*, aliud in *Quantitate*.

§. IV. Substantiæ modo peccat, ubi vel Vappæ instar sese habet, Spiritu Vitali sufficiente, sive Portionibus in Cerebro magis spiritualescere aptis, destitutus: Vel crudis & nõ tantum per se ad spiritualescentiam ineptis, sed & aptas ad eandem implicantibus atque obruentibus, Particulis, salinis scilicet fixis, aut toto genere Spiritus tum proventuum tum motui adversis, inquinatur. Desunt illæ, vel ubi continuâ Circulatione agitur Sangvis Particulas spirituosas passim impendit, donec omni lautâ Portione exutus, nec novâ adeo Accessione auctus, relinquatur inutilis; (Quam in senibus quibusdam & multæ ætatis Hominibus, parcò Victu utentibus, Viscerumque vigore quasi naturaliter declinante, ad Marasum inclinantibus, Apoplexiæ Causam potissimam statuere fas sit.) Vel ubi Intestino Motu nimio accensus, (uti in Febribus potissimum acutis) subtiliores eaque Occasione prompte avolantes Particulas plurimas perdidit. His vero, sive crudis aliterque ad spiritualescentiam ineptis Particulis abundantem Sangvinem, in Caco-chymiâ Melancholico-Scorbucicâ, aliaque diversâ, & diversis ex causis (interquas sunt etiam Ulcera antiqua consolidata) natâ: In Ebriosis item & φιλονεικίαις ex abusu Vini, Tabaci, aliquando improvidò Opii aliorumq; Narcoticorum Usu, observare est. Utròque modò modum Substantiæ Sangvinis mutari dixerim in iis, qui ex Bachi simul & Veneris abusu Apoplectici evadunt: præsertim in Senibus Neogamis, ultra Vires probare se Uxorculis suis nitentibus, solatiumque, & fatiscentis in Corpore roboris Instaurationem, in Potu generoso Pastuque liberaliore, (cui conficiendo imbecillior Ventriculus non sufficit,) nec non Juvamen in Bulbis, similibusque Cibis flatulentis & Venerem stimulantibus, quærentibus: Quosque adeo in ipso subinde Conjugum amplexu subito Apoplexiâ correptos exspirasse observatum est.

C

§. V

§. V. Quantitate porrò peccat Sanguis cum aut non sufficiens ad Cerebrum Partesq̄ congeneres defertur: Aut uberiori affluxu ita illud easq̄ inundat, ut obrutæ illius mole pares esse officio non possint.

§ VI. Illud fit, vel quia in toto Corpore, propter magnas nimiasq̄ Evacuationes, Inediam similesq̄; Causas, deficit; vel quia à Corde non ritè dispensatur; vel quia per quædam, ipsis in Arteriis enata, obstacula impeditur, quo minùs, debitâ Copiâ ad Cerebrum accedat. Dispensatio Cordis non ritè succedit, quoties illud vel Polypô, sive Sanguine cum Pituitâ similiq̄e Substantiâ concretô, vel aliis Morbis, Motum ejus naturalem, qui Systole & Diastole absolvitur, turbantibus laborat: Quoties itidem Sanguine, sive in Pulmonibus sive in Refluxu ad ipsum per Venas, subito coagulâtô, dispensandum eum non accipit. Id quod ob Venenum, sive respirando haustum, sive utcunque acceptum, in Peste aliisq̄ Casibus; interdum à Mephyti Cavitatum subterraneorum, (juxtâ LEONARDUM CAPUANUM *Lectione 3. de Natura Mephytium.*) similibusque Vaporibus, e.g. Musti ferventis, aut Carbonum in Conclavibus fornicatis Camino destitutis accensorum, juxta *Observ.* PLATERI, L. I. *de Mentis Consternatione*, contingit. Obstacula autem Sanguinis sufficientis affluxum ad Cerebrum impediencia, in ipsis Arteriis devehentibus enascuntur; quando à Particulis viscidis & glutinosi sese implicantibus, aut aliis peregrinis, obstruuntur illarum Canales: præsertim ubi crassa ejusmodi Corpora iis sese insinuant Arteriarum Canalibus, quorum Parietes hisce oblatis cedere nequeunt: Prout obtinet in Arteriis Carotidibus, per Canalem osseum, Ossi Sphænoideo insculptum, in Homine procedentibus.

§ VII. Nimiâ deinde Copiâ Sanguinis, impeditur Spirituum Animalium Proventus: quando aut in totô, per Constitutionem Corporis Plethoricam, ex latiori Victu & Otio, (in Senibus maximè floridis, cum sensim rigescentes Partium solidarum Fibræ tantum Nutrimentum, quantum in

Junio-

Junioribus, non admittunt) vel Evacuatione, five Menstruorum in Sexu sequiore, five Hæmorrhoidûm consuetudine alterius Hæmorrhagiæ in utrôq; Sexu, vel interceptâ, vel suppressâ, vel utcunque cohibitâ, abundans; aut Occasione Iræ, Veneris, aliorumque, tum Animæ, tum Corporis vehementiorû Motuum, exagitatus, Cerebroq; & Affinibus ei Partibus continuò, vel nimium rapidè, suffusus; à Sinibus Venisque Sangvine turgidis non æquè facilè recipi potest. Quamvis non eâ tantum ratione, tanquam Materia improportionata, sed & eatenus Sanguis justò copiosior, ad Officinam Spirituum Animalium delatus, Generationem illorum sufflaminet; quatenus accumulatus intra Vasa nec pergere ulterius potens, (quæ Constitutio *αιμοσυοιας* nomine LINDENIO dicitur, eiq; Apoplexia & Apoplexiæ similes Affectus aliquando adscribuntur, *Meletem. Medicin. HIPPOCRAT. Part. 3. §. 48.*) tunicas eorundem Vasorum magis magisque, atque adeò demum distendit, ut vel apertis Orificiis, vel divulsis ab invicem Fibris, erumpat, Porosq; Corticosæ Substantiæ, Colatorio muneri imprimis inservientes, obstruat pariter ac Motum Cerebri palpitantem turbet: sicque ipsam *Officinæ* Constitutionem naturalem, pervertat.

§. VIII. Quæ interim pluribus præterea modis Culpam cessantis Spirituum Animalium Generationis subit. Dum quâ Poros suos, jam dictos, aliàs ab eodem copiosiore Sangvine intra Vasa accumulato, citra ipsius Effusionem, comprimitur: Aliàs eadem ratione, five à grumoso multo Sangvine, occasione Casus aut Ictus, aut utcunq; extra vasato, atque sub Cranio, aut intra vel infra Meninges collecto; five à Cranio obfirmam Vim externam depresso; five à Tumoribus præter naturam in ipsâ Cerebri Substantia aut in Meninge quâdam succrescentibus; afficitur: Aliàs à Pituitâ, per incalescentiam Corporis eâ abundantis, sub variis Animi Corporisque Motionibus, liquefactâ atq; Occasione Capitis utcunque perfrigerati, denuo concretâ;

aut à Sero mucaginosò cum Sangvine allapso; à Pure itidem vel Ichore eò delato; obstruitur: Aliàs à tenuiore eòdem Serò, intra Glandulas non tantùm sed universam Cerebri Substantiam, sive sensim congesto, sive subito sese ingerente, ita turbatur; ut corrue[n]te atque ad Basin subsidente totâ Mole, omnibusq; adeò Meatibus confusis, nullus horum Ordo ampliùs servetur.

Sectio IV.

Spiritus Microcosmi Animalis Generationem læsam instaurandi Modum & Media delineans.

§ I.

SUPEREST, perspectâ jam Spiritus Animalis Microcosmi Generationis læsæ ratione, ut quomodò, quibus Mediis, instaurari posterior possit? (Velut de Re propriè ad Medicos spectante) deniq; dispiciam. Facturus, sed paucis, dum non alio in Affectu magis quàm, in Apoplexiâ Generationem Spiritus hujus impediri, ad animum revoco; eumq; qui majori ejusdem Generis Malo mederi potest, non minùs minori subvenire posse cogito: non aliâ breviori Viâ meum me propositum absoluturum deprehendo, quàm si succinctam hujus Therapiam, (vestigia, per quæ VENERANDUS DN. PARENS in Collegio Pract. ad BLANCKARDUM nuper incessit, premens) exhibeam.

§ II. Quod ut citra Circuitû simul & citra Confusionem fiat, præmissâ Distinctione Curationis Apoplexiæ, in Eam, quæ sub ipso invasionis impetu, quem Paroxysmum vocant, obtinet; Et illam, quæ extra aut post eandem suspicienda est: priorem prius adumbrandam sumo, tum quæ summa agendorum Capita, tum quæ præcipua eorundem Instrumenta.

§. III.

§. III. Illa sunt: Spiritus Animalis Motum in Nervorum Principia omnibus modis sollicitare, Sanguinis congrui convenientem ad Cerebrum affluxum juvare, transitum facilitare, Cerebrum ipsum à causis integritati illius officientibus, quacunque licet ratione, actutum liberare, easque aut minuere aut abolere.

§. IV. Quos in fines, juvat imprimis excellentibus quibusdam Objectis sensibilibus Organa sensuum irritare: Membraque, quibus Motus perficitur, providè agitare & commovere.

§. V. *Excitantia* vocant vulgò, quæ prius præstant, Præsidia: Suntque pro ratione Sensuum diversa. Alia nimirum *Odonata*, tam Simplicia, quam Præparata aut Composita: Præsertim *Balsami fragrantés* vulgò *Apoplectici* dicti; qui ex *Oleis destillatis*, *Lavendul.*, *Majoran.*, *Rosmarin.*, *Ruta*, *Succini* similibusque, cum & sine *Ambra* & *Moscho* parantur; & Naribus Temporibusque ac Vertici illinuntur. Alia egregiè simul *Sapida* & tenuium insuper partium; ut *Aqua* communiter vocatæ *Apoplectica*, ex *Fl. Lil. Convallium*, *Spice odorata*, aliisque Aromaticis Plantis, cum *Vino* & *Spiritu Vini destillata*; *Spiritus Salini*, tam non *Oleosus* quam *Oleosus*, aut aliis congruis nervinis maritati; ut *Spiritus Salis Ammoniac. Alcalicus*, cum *Ess. Castorei* mixtus; *Liqv. C. C. Succinatus*, *Sal volatile Oleosum Sylvii*, vel aliud quoddam, e. g. *Rosmarinatum* aut *Lavendulatum*: *Extracta Theriaca* & *Castorei*, cum *Oleorum Cephalicorum*, *Ruta*, *Salvia*, *Rosmarini*, guttulis quibusdam, & *Sale Volatili Succini* conjuncta; *Spiritus Cerebri* & *Sangu. Humani*, atque his similia alia: Ori, utcumque licet, ingerenda, pariter ac Naribus offerenda. Alia *auditum*, ut *Inclamationes fortes*; alia *Visum*, ut *Locus luminosus*; alia *Tactum respicientia*, ut *Vellicationes*, & dolorosa varia *Contrectationes*, *Friktiones*, *Ligaturæ*, *Punctiones*, *Inuersiones*; præsertim, *Verticis*, per *Sartagine* *Prunis candentibus* repletam, & *Cucurbitulas* sive *Ventosas*, cum multâ *flammâ*, (ex *Nutu*, ut tradunt, *FRACASTORII*,) admotas; *Sternutatoria* ex *Fol. Ma-*

jonan., Saturej., Semine Nigelle, Rad. Hellebori, Tabaco, cum & sine Ambrâ ac Moscho, Naribus insufflata; Clysteres acres, ex Plantis nervinis cum Croco Metallorum & Colocynthinis variis parati; Suppositoria acria; Unguenta cathartica, E. g. de Arthanitâ; Cataplasmata ex Helleboris Umbilicô adhibita: Et in nonnullis Casibus, (præsertim ubi Apoplexia à Stomachi repletionem & Ebrietate ex Vino aut alio Potu generoso, Venenis item & Narcoticis assumptis pendet,) etiam Vomitoria: tum alia, (E. g. Sal Vitrioli, Emeticorum Manna dictum, & à CHRIST. LANGIO Miscell. Curios. p. 12. mirificè Apoplecticis commendatum) tum Antimonialia: Inter quæ Mercurium Vita FABER & HARTMANNUS commendant, justâ Dosi datum; Præsertim si Epithema simul Suture Coronalis fiat, ex Succinô, Sacculo oblongo inclusô, atque Aquâ vita, cum Pipere longô essentificatâ, Oleiq; Succini Guttis aliquot irroratô.

§. VI. De Motu Membrorum Corporis (quod plerique aliàs supinum locari & hinc indè agitari jubent,) singulare est Præceptum CARDILUCHII in Notis ad Hartmannum, *Patiens à duobus robustis Viris elevetur in altum, delabiq; rursus sinatur, aliquo modo, violenter in Pedes, eâ Figurâ, ac si in Pedes saltaret, Corpusq; erectum maneat.* Ea ratione interdum impactam Principis Nervorum Materiam viscidam vi excuti, Causamq; adeò urgentem loco moveri existimat.

§. VII. Cujusmodi aliis repentè minuendis aut summovendis uti ex jam dictis non pauca inserviunt; ita in certis *Trepanatio Cranii*: in multis autem profligandis conducit admodum *Sanguinis per V. S. Eductio*. Quam nunquam ideò, etiam in Pituitosâ Constitutione, omittendam periti quidam Præctici censent.

§. VIII. Eadem est, quæ in Cõstitutione Plethoricâ, etiam post *Paroxysmum solutum*, magnam Medicationis Partem, tam *Cumtorie* quam *Præservatorie* absolvit. In aliis verò Constitutionibus, tum *Evacuantibus*, tam *Universalibus* quam *Particularibus*;

ricularibus; e.g. Apophlegmatismis, Errhinis, Vesicatoriis, Fonticulis, Setaceis, &c. tum Alterantibus & Roborantibus diversis, (quæ in Paralyseos Curatione designant ferè Practici) res agi postulat; Diætâ simul, cuique primariarum Causarum Antecedentium congruâ, ritè institutâ.

DEO GLORIA!

Corollaria,

- I. **T**ussim non rarò facit, Destillatio ad Stomachum.
- II. **T** Jejunent, vigilent, sitiant, qui rheumata curanti non est Præceptum tussientibus congruum.
- III. Quibus rarò Syrupi incidentes utiles sunt.
- IV. Rarò etiam Purgantia conducunt.
- V. Diacodia autem, præsertim Syrupus de Siliquis, aliq̃, Papaveracea profunt.
- VI. Quorum in Pleuritide etiam, etiam Vehementi, non contemendus usûs, dummodo justò tempore & exiguis dentur Dosibus.
- VII. In eâdem Venæ Sectio etsi non semper necessaria, non semper negligenda:
- VII. Mixtura autem simplex, ut Ludovicus ait, elegans ruptorum seu resolvens est.
- VIII. Sed specificis blandis Diaphoreticis præmittendum.
- IX. Adhibitis simul ad latus dolens Topicis idoneis.
- X. Inter quæ Fodus per Decocta lactea Meliloti, Malvæ, Chamæ. Fl. Sambuc. &c. optima.








Frankfurt a.d.O. Diss., 1698

f

ULB Halle

3


002 510 235




sb.

1017







B.I.G.

Farbkarte #13

15

CITER VERTENTE! 1698, 8
 C. AUTORITATE
 cultatis Medicæ
 ERSITATE PATRIA,
 E SIDE
 SPECTABILI
 NÆO VEHR,
 e Profess. Publ. Primariô,
 nd. & Facultatis suæ Seniore,
 ITE SUO,
 te æternùm colendo,
 M INAUGURALEM,
 DE
 AC LÆSA
 lundii Parvi
 GENERATIONE,
 licentia
 DICINA HONORES
 LEGIA DOCTORALIA
 obrinendi,
 e & Disquisitioni subjiciet
 DERICH VEHR,
 NUS MARCHICUS.
 Anno M DC XCVIII.
 Horis ante & pomeridianis.
 at Johannes Cœpfelius, Acad. Typogr.

